image
not
available

Germ. 2094 2w

Digitized by Google

Digitized by Google

ORATIO

AD SENATVM ET POPVLVM ACADEMICVM IN TEMPLO

ALMAE ET ARCHIEPISCOPALIS VNIVERSITATIS SALZBVRGENSIS

ANTE TRIENNALEM RECTORIS MAGNIFICI ELECTIONEM ET VNIVERSITATIS VISITATIONEM DICTA

A

REVERENDISSIMO PERILLVSTRI AC AMPLISSIMO

DD. IOSEPHO MARIA, Hiendl

ORD. S. BENEDICTI, ANTIQVISSIMI ET CELEBERRIMI MONASTERII OBERALTAICHENSIS ABBATE VIGILANTISSIMO, etc. etc. ID TEMPORIS PRAEDICTAE VNIVERSITATIS

PRAESIDE.

DIE XIII. IVNII ANNO MDCCLXXXV.

SALZBVRGI,
FORMIS TYPOGRAPHIAE AVLICO-ACADEMICAE.

Digitized by Google

Hom. 2094 w

Bibl. Acad. Land.

UBM

Bayerische Staatsbibliothek München

T 92/274

Digitized by Google

THEMA.

Reddite, quae ſunt Caeſaris, Caeſari; et quae ſunt Dei, Deo. *Matth. XXII.* 21.

EXORDIVM.

Ne miremini, Auditores academici quocunque demum titulo venerandi, ne miremini, ſi qua plurimis quidem votis, pauciſſimis tamen, immo nullis meritis electus Praeſes alia dicere velim, quam quae dicturus ſum, aliaque dicam, quam quae volo. Vellem equidem multa aeque ac magna de ſplendidiſſimo celeberrimae et archiepiſcopalis huius Vniuerſitatis noſtrae ortu, de inſigni eiusdem per tot annorum luſtra vel etiam inter aduerſa progreſſu, deque florentiſſimo illius moderno ſtatu omni cum cordis iubilo atque applauſu diſſerere, et explanare. Vellem *laudare viros glorioſos et Parentes noſtros in generatione ſua, homines magnos virtute et prudentia et ſapientia praeditos*, pro inclytae huius Academiae bono, fama et ſplendore iugiter excubantes, qui vti *in diebus ſuis habebantur in laudibus, ita et nobis reliquerunt nomen narrandi*

laudes eorum, quas et narrant populi, et nuntiat omnis Eccleſia. (*)

Vellem iam Celſiſſimorum Principum et Archiepiſcoporum Salzburgenſium, ac praecipue moderni *Celſiſſimi ac Reuerendiſſimi Principis et Archiepiſcopi HIERONYMI IOSEPHI, Domini Domini ac Maecenatis noſtri clementiſſimi* in ſtudia noſtra propenſionem et munificentiam depraedicare, iam Reuerendiſſimorum et Ampliſſimorum DD. Abbatum Aſſiſtentium inſignem beneuolentiam et vigilantiam dillaudare, iam ipſius huius, quem alloquor, ſpectatiſſimi Senatus populique academici indefeſſum ad metam et ſcopum, omnemque perfectionem deueniendi ſtudium, curam atque ſolertiam ſi non aequis, ſaltem dignis celebrare laudum encomiis.

At etſi omnia iſta eloqui vellem, ea tamen edicere nec valeo; quia neſcio, quo ſpiritu aliorſum totus quantus abripior, et a dicenda fuſiore panegyri ad ſermonem quemdam hortatorium vi quadam occulta abſtractum me ſentio, atque perſpicio. Quamvis enim optime norim, neminem veſtrum, Auditores academici, vllis ad currendum in ſtadio indigere ſtimulis: modernae tamen rerum et temporum circumſtantiae quaedam ſibi expoſcunt monita, meque volentem et nolentem compellunt, vt iisdem, quae aeterna aeterni Patris Sapientia diuino ore protulit, verbis vos alloquar, et humano iam ore ac voce dicam: *Reddite, quae ſunt Caeſaris, Caeſari; et quae ſunt Dei, Deo.* Vtrumque fuſius dum explanare contendo, vos multa paucis dicentem beneuoli ſuſtinete, et fauete.

PARS

(*) Eccli. XLIV. 1. et ſeq.

Digitized by Google

PARS I.

Reddite, quae ſunt Caeſaris, Caeſari. Quem vero noſtrum latet Caeſaris nomine omnem hic intelligi Principem, omnemque intelligi poſſe Rempublicam? nec ignorare poſſumus illud Dionyſii (*) aſſertum: Optimi nempe ac egregii Principis eſſe, vt non modo ipſe omnia ex officio agat; verum et qua ratione etiam reliqui omnes quam optimi fiant, proſpicere, nullumque munus, veluti Cicero affirmat, Reipublicae afferre quidquam maius meliusue poſſe, quam ſi doceamus, et erudiamus Iuuentutem. Ex his vero et ex illis, quae ex ipſo ore *Celſiſſimo* percepimus, abunde colligere licet, *Clementiſſimum Dominum, Principem et Archiepiſcopum noſtrum HIERONYMVM IOSEPHVM*, cum ſit optimus, et Ipſe omnia ex officio agat, vel maxime etiam proſpicere, velle ac deſiderare, vt et nos omnes, qui hic ſumus congregati in vnum, fiamus et ſimus quam optimi. Non ſufficit illi, vt ſimus tantum obiter boni, docti, ſapientes et ſeduli; ſed vt fiamus, et ſimus optimi, corde et ore ſibi expoſcit.

Deſiderat optimos Abbates et Aſſiſtentes, qui vt alma haec Vniuerſitas maius ſemper de die in diem ſummat incrementum, inceſſanter curent ac vigilent. Exoptat optimos Doctores et Profeſſores, qui fulgeant ſicut ſtellae, continuo labore ac ſudore ad iuſtitiam omnemque artem erudiendo multos. Anhelat optimos Academicos et Studioſos, qui non tantum ſe in celeberrima hac Vniuerſitate aliquot annis fuiſſe et frequentaſſe, ſed et plurima ac optima quaeque indefeſſo ſtudio atque conatu didiciſſe iure poſſint dicere et gloriari. Optimi namque Principis eſt, vt non modo ipſe

(*) Lib. 2. de Diuin.

Digitized by Google

ipſe omnia ex officio agat, verum et qua ratione etiam reliqui omnes optimi fiant, proſpiciat.

Similiter et Respublica, quam incolimus, cuiusque membra ſumus, alta nimirum voce munus ſibi a nobis expoſcit, quo maius meliusue, Cicerone teſte, dare non poſſumus, nempe vt doceamus, et erudiamus Iuuentutem, ſicque eandem ſolidis in ſcientiis inſtruamus, vt ciues academici euadant viri exquiſiti iudicii, ad conſilia praeſentiſſimi, in rebus gerendis induſtrii, praeſtantique mente atque limata prudentia praediti, ſine qua Ciuitatis ſtatus nullo modo poteſt eſſe optimus. Exigit, vt ex inclyta hac Vniuerſitate prodeant viri, qui norunt hominum officia, gentium ſtudia, ciuitatum inſtituta, rerum publicarum formam, regnorum rationes. *Qui norunt*, quae cauſae, qui caſus, qui euentus, qui ſucceſſus, qui defectus. *Qui norunt*, quomodo cum Regibus et populis, quomodo cum ciuibus et exteris agendum; quibus ciuitates ſtudiis creſcant, quibus excidant; quae leges perutiles, quae perniciofae; quae pacis, quae belli rationes; breuiter, quid ad parandam Reipublicae felicitatem faciat, quid ad eandem labefactandam inducat, atque impellat. Qui denique *norunt*, quid neſcire expediat, quidue ad promouendum Reipublicae bonum et commodum apprime conducat, et ad auertendum ab ea omne malum vel maxime inſeruiat. Verbo, exigit Respublica a nobis munus, quo maius vel melius dare non poſſumus, nempe vt doceamus, et erudiamus Iuuentutem, eamque imbuamus omni vero omnique bono, vt ſit, et fiat optima. Haec quum ita ſint, et tanta ac talia quum a nobis poſtulet *Princeps Celſiſſimus*, qui clementiſſime nos regit, ac protegit, ac etiam expetat Respublica, quae materne nos nutrit atque ſuſtentat: omnino neceſſe eſt, vt ſicuti vnum corpus

aca-

Digitized by Google

academicum efficimur; ita ſimus et cor vnum ac anima vna, niſuque ac conatu vnanimi in id vnum reſpiciamus, vt tam Principis, quam Reipublicae votis iuſtisque deſideriis vndique ſatisſiat, ſicque *reddantur Caeſari, quae ſunt Caeſaris.* Caueamus ergo, ne noſtri Academici ad normam modernae multitudinis a nobis abeant male ſcioli potius, quam vere ſcientifici; attendamus, ne ſtudioſi noſtri libros non alios verſent, niſi fabularum molliſſimaeque cuiusdam leuitatis pleniſſimos; curemus autem, vt incumbant illis, qui ſanam et ſolidam continent doctrinam et ſcientiam. Studeamus vel ea quoque, quae nobis hucusque videbantur perfecta, magis perficere, ac Iuuentutem nobis commiſſam ita verbo et exemplo docere, erudire ac imbuere, vt Principi obueniant optimi ſubditi et Reipublicae optimi ciues. Haec agite, et *reddite, quae ſunt Caeſaris, Caeſari.* Sed et

PARS II.

Reddite, quae ſunt Dei, Deo. Vnum namque oportet fieri, et alterum non omitti. Quin immo quum Deus ſit Dominus Dominantium, Alpha et Omega, Principium et Finis, omnino neceſſe eſt, vt alma Vniuerſitas noſtra omnem mentis aciem primario in Deum conuertat, ac Deo Deique Eccleſiae, ſeu Reipublicae ſacrae pro viribus ſuis ſemper deſeruiat, Deoque reddat, quae ſunt Dei. Et profecto ſi omnes Academiae in Germania noſtra erectae ſemper in Deum reſpexiſſent, nec ea, quae ſunt Dei, Deo reddere deſtitiſſent, haud Germania noſtra iam foret *Rachel plorans filios ſuos, quia non ſunt.* (*) Vel edicite, o ter veneranda et amata Capita! vnde hae lacrymae, hi gemitus,

(*) Ierem. XXXI. 15.

Digitized by Google

tus, haec lamenta? *Nouimus*, prô dolor! quam paucos Deus numeret, qui eum in ſpiritu et veritate adorent, aut ex toto corde, ex tota anima, ex tota mente, ac ex tota virtute ament, et diligant. *Scimus*, quam multi a vera fide, Religione et Eccleſia deficiant, atque vel vsque ad ſuperſtitionem, vel omnino ad Deiſmum, Pyrrhoniſmum aut Indifferentiſmum deſiliant, declinent atque aberrent. *Videmus* Sacerdotes Dei *inter veſtibulum et altare plorantes et dicentes: parce, Domine, parce populo tuo, et ne des in opprobrium haereditatem tuam!* - - (*) *Cernimus* Eccleſiae *Virgines ſqualidas ac gementes, et ipſam oppreſſam amaritudine.* (**) *Intuemur*, quod *meſſis quidem multa, operarii autem pauci,* (***) qui eſſent *ſal terrae, lux mundi*, et murus pro domo Dei (****) *Lugemus* denique, vt plura alia, quae nos premunt, taceam mala, *lugemus*, inquam, et deflemus, quod in Primoribus ac Conſiliariis bona et ſalubria deficiant conſilia, quod in iudiciis ac tribunalibus ſacra et ſancta hinc inde violetur iuſtitia, quod in plateis ac oppidis exulet pax, concordia, virtus et charitas, ac prope vndique homo homini ſit lupus. Iam oro, vnde haec mala, hi gemitus, haec lamenta? – Dicam, quod res eſt, quodque, quantum capio, quantum ſapio, etiam ſaluo meliori ſentio. Ego quidem cum aliis plurimis exiſtimo, haec mala inde veniſſe ſuper nos, ſuumque trahere ortum, quod Iuuentus noſtra ad varias et exteras praecipue Provincias et Academias miſſa principia et fundamenta hauſerit fidei ac Eccleſiae verae principiis forte haud ſatis conuenientia; quod Iuuenes *a veritate* quidem *auditum auertentes, ad fabulas autem conuerſi ſanam doctrinam non ſuſtinuerint propter docentes turpis lucri gratia, qui vniuerſas domos ſubuertunt*; (*****) quod

(*) Ioel II. 17. (**) Thren. I. 4. (***) Matth. IX. 37. (****) Matth. V. 13.
(*****) II. Tim. IV. 4. et Act. XX. 30.

Digitized by Google

quod Academici Saeculi genio et phantaſiae fallacia ducti et ſeducti eas potiſſimum ſibi elegerint, ac frequentauerint Vniuerſitates, a quibus equidem redditum fuit Caeſari, quae ſunt Caeſaris, non autem ſimiliter reddebantur Deo, quae ſunt Dei. *Inde* ex illis ipſis exſurrexerunt *Viri loquentes peruerſa et abduxerunt diſcipulos poſt ſe.* (*) *Inde* prodierunt *homines ambulantes*, vt Paulus ait, *ſicut et gentes ambulant in vanitate ſenſus ſui, tenebris obſcuratum habentes intellectum, alienati a via Dei per ignorantiam, quae eſt in illis propter caecitatem cordis ipſorum, qui deſperantes ſemetipſos tradiderunt impudicitiae in operationem immunditiae omnis in auaritiam.* (**) *Inde* ſubintroierunt, Iuda Apoſtolo affirmante, quidam *homines*, qui *quaecunque ignorant, blasphemant, quaecunque autem naturaliter tamquam muta animalia norunt, in his corrumpuntur; homines*, qui *velut fluctus feri maris deſpumantes ſuas confuſiones, ſidera errantia ſunt, in epulis ſuis maculae, conuiuantes ſine timore, ſemetipſos paſcentes, nubes ſine aqua, quae a ventis circumferuntur, arbores autumnales, infructuoſae, bis mortuae, eradicatae.* (***) *Homines*, qui non ea, *quae deſurſum eſt, et deſcendens a Patre luminum, ſapientia, ſed ſola huius Saeculi ſapientia carnisque prudentia imbuti in via Cain abierunt, in errore Balaam mercede effuſi ſunt, et in contradictione Core peribunt, quibus et procella tenebrarum ſeruata eſt in aeternum.* (****) Quapropter iam non miror; ſed potius magnificat anima mea Dominum, et exultat Spiritus meus in Deo ſalutari meo, eoquod *Celſiſſimus Princeps et Reuerendiſſimus Archiepiſcopus noſter*, tamquam paſtor bonus et Princeps optimus ac ſapientiſſimus ad auertenda a grege ſuo tanta mala vigili cura decreuerit, pluribusque decretis ſaluber-

(*) Loc. cit. (**) Ad Epheſ. IV. 17. ſeq. (***) Iud. 10. ſeq. (****) Iac. III. 15

rime invigilauerit, vt grex ſibi commiſſus ſanctiſſima aeque ac puriſſima verae Fidei et Religionis catholicae principia eamque genuinam ſapientiam, *cuius initium eſt timor Domini*, (*) funditus poſſet addiſcere. *Non miror*, quod tam paterne ac ſollicite caueat, ne ſtudioſa Iuuentus alia, quam ſana et ſolida imbuatur doctrina, ſicque erudiatur, vt cum tempore fructum afferat centuplum, ac Deo, Eccleſiae, et Reipublicae eccleſiaſticae ſua poſſit praeſtare ſeruitia et obſequia. *Non miror*, quod in id vnum ſpiritum ſuum principalem viresque ſuas intendat, vt non tantum a Se, ſed et a ſuis *reddantur Caeſari, quae ſunt Caeſaris*; ſed etiam, ac quidem primario et ante omnia *reddantur Deo, quae ſunt Dei. Huc* et hunc in finem tendunt decreta nouiſſima, quae prudentia ſua incredibili noſtris conſignari fecit manibus; *huc* reſpiciunt labores Viris in Vniuerſitate noſtra clariſſimis et exquiſitiſſimis non longe abhinc impoſiti, quos ad tradendas et edendas vel maxime ſanas fidei et morum regulas ſuo iuſſu nutuque clementiſſimo prouocauit; huc ſpectant vigiles curae, larga munificentia, liberales expenſae, queis tot et tanta pro ſola Dei gloria praeſtitit, effecit, procurauit. Hic ſcopus, haec meta, hic finis eſt vnicus *optimi Principis*. Hinc et ego tantis exemplis animatus, tantisque ſtimulis commonitus omnem ſpectatiſſimum Senatum, populumque academicum hic praeſentem pro officii mei ratione commonere non deſiſto, et omnes ac ſingulos hodierna die conteſtor, ac ante omnia obſecro, vt quisque reddat Deo, quae ſunt Dei. *Dominus enim ipſe eſt Deus*, (**) et *ſiue viuimus, ſiue morimur, Domini ſumus*, (***) *in quo, per quem et a quo ſunt omnia*. (****)

Et

(*) Pſal. XC. 10. (**) Deut. X. 17. (***) Rom. XIV. 18. (****) Ibid. XI. 36.

Digitized by Google

Et *haec eſt vita aeterna, vt cognoſcant te Deum verum, et, quem miſiſti, Ieſum Chriſtum*, (*) quamque Chriſtus ſuo ſanguine fundauit Eccleſiam ſacramque Rempublicam, *contra quam portae inferi non praeualebunt.* (**) *Reddite ergo quae ſunt Dei, Deo.*

EPILOGVS.

Vt autem iisdem, queis tenuiſſimum huncce ſermonem inchoaui, verbis finiam, itidem et nunquam ſatis doctiſſimis auribus veſtris incl[illegible]: *Reddite, quae ſunt Caeſaris, Caeſari, et quae ſunt Dei, Deo.* Vere enim dignum et iuſtum eſt, aequum et ſalutare, vt vtrumque a vobis fiat, atque pro viribus praeſtetur. Intellexiſtis per ſermonis decurſum, quid Caeſar, quid Princeps, quid Reſpublica ciuilis a vobis expectet, et exigat; percepiſtis quoque, quid Deus, quid Eccleſia, quid Reſpublica ſacra et eccleſiaſtica ſibi velit, et expoſtulet. Caeſar, Princeps et Reſpublica ciuilis optimos a vobis expetit Conſiliarios, ciues et ſubditos: Deus, Eccleſia et Reſpublica ſacra optimos deſiderat ſeruos, miniſtros ac filios genuinos, tantoque Patre et tanta Matre dignos, immo digniſſimos. Reddite itaque Caeſari, quae ſunt Caeſaris, et Deo, quae ſunt Dei. Certe non alium in finem celeberrima haec Academia et alma Vniuerſitas fundata et erecta eſt; non alio ex fine tantis ſumtibus enutritur, ac ſuſtentatur; nec alium in finem ad vos tam longo et moleſto itinere ſumus delati, iamque in vnum congregati, quam vt inclyta haec Vniuerſitas noſtra, quae cum omni alia Vniuerſitate de palma iuſte decertat, conſtanter floreat, et reddendo *Caeſa-*

ſari,

(*) Ioann. XVII. 3. (**) Matth. XVI. 18.

Digitized by Google

ſari , *quae ſunt Caeſaris* , et *quae ſunt Dei*, *Deo* maius in dies ſummat incrementum. Quod ergo hucusque ad noſtrum ſolatium veſtramque gloriam immortalem ſtrenue egiſtis, deinceps quoque impigro conatu et labore viriliter agite, ac de diuino auxilio confiſi conſtanter *reddite*, *quae ſunt Caeſaris* , *Caeſari* , *et quae ſunt Dei* , *Deo*.

V. I. O. G. D.

Digitized by Google

Digitized by Google

image
not
available